

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Lüderi Menckenii, IC. Facult. Iurid. Lipsiensis Ordinarii  
Tractatio Synoptica Institutionum Iuris Iustinianearum  
Theoretico-Practica**

**Mencke, Lüder**

**Lipsiae, MDCCXXXV**

**VD18 11839880**

Tit. XVI. De Verborum Obligationibus.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18253**

TIT. XVI.

De Verborum Obligationibus.

Quomodo contrahantur & quas actiones pariant.

**V**ERBIS obligatio contrahitur ex interrogatione & responsione, cum quid dari fierive nobis stipulamur: ex qua duæ proficiscuntur actiones, tam condictio (certi,) si certa sit stipulatio, quam ex stipulatu, si incerta sit; quæ hoc nomine inde utitur, quod stipulum apud veteres firmum appellabatur, forte a stipite descendens. Ex Cajo l. 1. §. 7. de oblig. & act.

De verbis stipulationum.

1. In hac re olim talia verba tradita fuerunt: *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fidepromittis? Fidepromitto. Fidejubes? Fidejubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Utrum autem Latina, an Græca, vel qualibet alia lingua, stipulatio concipiatur, nihil interest: scil. si uterque stipulantium intellectum ejus linguæ habeat. Nec necesse est, eadem lingua utrumque uti, sed sufficit, congruenter ad interrogata respondere. Quin etiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere possunt. Sed hæc solennia verba olim quidem in usû fuerunt; postea autem Leonina Constitutio lata est, quæ solennitate verborum sublata, sensum & consonantem intellectum ab utraque parte solum desiderat, quibuscunque tandem verbis expressum. \* v. L. 10. C. de contr. stip.

Quibus modis stipulatio fiat. De stipulatione pura vel in diem.

2. Omnis stipulatio aut *pura*, aut *in diem* aut *sub conditione* fit. *Pura*, veluti: *Quinque aureos dare spondes?* Idque confestim peti potest. *In diem*, cum adjecto die, quo pecunia solvatur, stipulatio fit: veluti, *Decem aureos primis Calendis Martiis dare spondes?* Id autem, quod *in diem* stipulamur, statim

tim quidem debetur; sed peti prius, quam dies venerit, non potest, ac ne eo quidem ipso die, in quem stipulatio facta est, peti potest, quia totus is dies arbitrio solventis tribui debet. Neque enim certum est eo die, in quem promissum est, datum non esse, priusquam is præterierit.

*De die adjecto perimendæ obligationis causa.*

3. At si ita stipuleris: *Decem aureos annuos, quoad vivam, dare spondes?* & pure facta obligatio intelligitur, & perpetuatur; quia ad tempus non potest deberi: sed heres petendo, pacti exceptione submovebitur.

*De conditione.*

4. *Sub conditione* stipulatio fit, cum in aliquem casum differtur obligatio: ut, si aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur stipulatio: veluti *Si Titius Consul fuerit factus, quinque aureos dare spondes?* Si quis ita stipulatur: *Si in Capitolium non ascendero, dare spondes?* perinde erit ac si stipulatus esset, cum moreretur, sibi dari. *Ex conditionali stipulatione tantum spes est debitum iri, eamque ipsam spem in heredem transmittimus, si prius, quam conditio extet, mors nobis contigerit.*

*De loco.*

5. *Loca* etiam inferi stipulationi solent: veluti, *Carthagine dare spondes?* Quæ stipulatio licet pure fieri videatur, tamen re ipsa habet tempus adjectum, quo promissor utatur ad pecuniam Carthagine dandam. Et ideo si quis Romæ ita stipuletur: *Hodie Carthagine dare spondes?* inutilis erit stipulatio, cum impossibilis sit repromissio.

*De conditione ad tempus præsens vel præteritum relata.*

6. *Conditiones*, quæ ad præsens vel præteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem,

nem, aut omnino non differunt: veluti, *Si Titius Consul fuit: vel, Si Mævius vivit, dare spondes?* Nam si ea ita non sunt, nihil valet stipulatio: sin autem ita se habent, statim valet. Quæ enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint.

*Quæ in stipulatum deducantur.*

7. Non solum res in stipulatum deduci possunt, sed etiam facta: ut si stipulemur aliquid fieri, vel non fieri. Et in hujusmodi stipulationibus optimum erit, pœnam subjicere, ne quantitas stipulationis in incerto sit, ac necesse sit auctori probare, quod ejus intersit. Itaque si quis, ut fiat aliquid, stipuletur; ita adjici pœna debet: *Si ita factum non erit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes?* Sed si quædam fieri, quædam non fieri, una eademque conceptione stipuletur quis, clausula hujusmodi erit adjicienda: *Si adversus ea factum erit, si ve quid factum non fuerit, tunc pœnæ nomine decem aureos dare spondes.*

*Ex Venu-  
lejo l. ult.  
de Frat.  
stipul.*

I.

**V**erborum Obligatio est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatus est, præsens congrue & in continenti respondet. P.R. J.b. l.1. Pr. I. h. pr. §. 1. l. 5. §. 1. ff. d. V.O. Hodie stipulationis usus in Germania non desit.

II. Verborum obligatio parit actionem ex stipulatu. N. 162. c. 1. §. 1. quæ est personalis, civilis, stricti juris, & conceditur stipulanti ejusque hæredibus adversus promissorem hæredesque ejus, ad rem promissam dandam. l. 75. §. 10. ff. b. factumve præstandum. l. 13. §. 1. ff. d. re jud. ad faciendum obligatus liberatur præstatione ejus,

quod interest, d. l. 72. ff. d. V. O. l. 68. ff. eod. & dividitur ab objecto in *condictionem certi*, qua res certa petitur, P. R. J. b. l. 74 §. 1. ff. eod. & *actionem ex stipulatu*, qua res incerta petitur. d. Pr. l. 75. §. 7. ff. b.

III. *Verborum obligatio requirit ratione forma verba congrua* inter praesentes interposita, qualiacunque sint, & in quacunque lingua efferrantur, modo a partibus intelligantur earum.

§. 1. I. h. que consensum complectantur. §. I. J. b. l. 10. C. d. contrab. vel committ. stip.

IV. *Verborum obligatio recipit temperamentum diei, conditionis, loci praestationis.* Diei, nam *concepitur vel pure vel sub die*, atque hic additur vel tanquam terminus a quo vel ad quem.

*Terminus a quo est dies vel certus*, ubi dies obligationis *statim cedit*, sed venit demum cum totus ille dies praeteriit. §. II. J. b. (a) j. L. 213. ff. d. V. S. (b) *vel incertus, vel an sit futurus & facit, vel quando sit futurus & non facit obligationem conditionalem.* a. l. 16. §. 1. l. 17. l. 56. ff. d. cond. ind. (c) *Dies tanquam terminus ad quem.* e. g. quoad promissor vixerit, puram reddit obliga-

(a) *Totus dies solutionis arbitrio solventis tribui debet, neque enim certum est, eo die, in quem promissum est, datum non esse, priusquam is praeterierit.* §. 2. J. b.

(b) *Cedere diem significat incipere deberi pecuniam, Venire diem significat, eum diem venisse, quo pecunia peti potest.* l. 213. ff. d. V. S.

(c) *Dies incertus an sit extiturus obligationi adjectus facit obligationem conditionalem.* l. 16. §. 1. j. l. 56. ff. d. cond. indeb.

tionem

tionem & perpetuam jure civili. §. III. *J. b. l. 44. §. 3. I. h.*  
 §. 1. *ff. d. O. & A.* At jure *hodierno* nihil prohibet  
 asseri, ad tempus factam promissionem, eodem elapso,  
 ipso jure extingui, quia pactum de non petendo post  
 tempus adjectum complectitur, *d. §. 3. quod hodie* est juris  
 adeoque ad tollendum jus obligationis efficax.

V. *Conditio*, quæ additur verborum obligationi est vel  
 affirmativa vel negativa, §. IV. *J. b. §. 4. I. h.*  
 e. g. si Capitolium non ascendero i. e. cum moriar: nam  
 cautio Mutiana in contractibus locum non habet, quia  
 imputandum contrahenti, quod cautionem præstandam  
 non curavit exprimi. *a. l. 39. ff. d. pact. l. 99. ff. d. V. O. Ultimas*  
*vero voluntates* plenius interpretamur, & illi, cui quid  
 sub conditione negativa de non faciendo (quæ ante personæ  
 honoratæ mortem existere non potest. *l. 1. §. 3. l. 22. §. 2. ff. d. Cond. & dem.*)  
 relictum est, exigendi facultatem tribuimus, si cautionem  
 præstiterit, se non facturum, quod facere prohibitus est,  
 quæ cautio Mutiana dicitur. *l. 7. ff. d. t. j. tract. meam Syn. Pand. Tb. Pr. t.*  
*d. Cond. & dem. p. 438. (d)* *Conditio spem debendi*  
*complectitur*, quæ ad hæredes transmittitur §. 4. *J. b.*  
 & poenitendi facultatem excludit. *a. l. 8. ff. d. per. & comm. rei. vend.* Non vero est  
*conditionalis obligatio*, quæ confertur *intempus præsens*  
 vel *præteritum*, ea enim statim invalida

(d) *In obligatione conditionali conditione existente cedit & venit dies obligationis. l. 213. ff. d. V. S. l. 8. ff. d. per. & commod. rei vend.*

Z 5

est,

est, si ea ita non sunt, valida autem, cum ita se  
 §. 6. I. h. habent. §. VI. *J. b. (e)*.

VI. *Locus præstationis tacite complectitur diem* sive spatium temporis, quo promissor utatur  
 §. 5. I. h. ad pecuniam in loco solutionis dandam. §. V.  
*J. b. l. 41. §. 1. ff. b.* Quod si autem quis Romæ stipuletur: *hodie* Carthagini dare spondes, inutilis est promissio, utputa impossibile completens, §. 5. *J. b. j. l. 185. ff. d. R. J.* nisi ante diem stipulationis dispensatoribus suis contrahentes notum fecerint, in eum diem futuram stipulationem, & demandaverit promissor suo dispensatori, ut daret, stipulator suo, ut acciperet. *l. f. §. 4. ff. b.*

VII. Verborum *obligatio* est ratione objecti vel *dandi*, qua promissor ad dandum obstringitur. *l. 75. §. 10. ff. d. V. O.* vel *faciendi*, qua promissor ad faciendum (vel non faciendum) obstringitur, §. VII. *J. b.* expedit vero ob eum, quod *interest* (s. *lucris cessantis & damni emergentis*, *l. 13. ff. rem. rat. hab. (f)*) incertam quantitatem *l. f. ff. d. prætor. stip.* in hisce stipulationibus pœnam adjici solvendam in eventum, si contra eas, vel non ita, ut promissum, factum fuerit. *d. §.* Quamvis autem hæc *pœnalis stipulatio in obligationibus faciendi* maximæ sit *utilitatis* ad determinandum interesse. ¶, g. cum fidejussores

(e) *Quæ per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem, licet apud nos incerta sint. §. 6. J. b.*

(f) *Interesse continet lucrum cessans & damnum emergens. l. 13 ff. rem rat. hab.*

de

de reo, cui datur salvus conductus specialis, in  
iudicio sistendo cavent (hodie etiam pacto) sub  
pœna 100. 200. 300. th. a. l. 4. ff. d. cust. & exhib.  
reor. Non tamen in ea obligationibus dandi  
usurpari prohibetur. §. 18. J. d. inutil. stipul. a l. 71.  
ff. pro soc. l. 47. ff. d. act. emt. modo nihil in frau-  
dem legitimarum usurarum fiat. a. l. 44 ff. d. usur.

TIT. XVII.

De Duobus Reis Stipulandi & Pro-  
mittendi.

*Quibus modis duo rei fieri possint.*

**E**T stipulandi & promittendi duo pluresve rei fie-  
ri possunt. Stipulandi ita, si post omnium in-  
terrogationem promissor respondeat, *Spondeo*: ut  
puta, cum duobus separatim stipulantibus, ita pro-  
missor respondeat: *Utrique vestrum dare spondeo*.  
Nam si prius Titio sponderit, deinde alio interro-  
gante spondeat, alia atque alia erit obligatio, nec cre-  
duntur duo rei stipulandi esse. Duo pluresve rei  
promittendi ita fiunt: *Mævi, decem aureos dare spon-*  
*des? Sei, eosdem decem aureos dare spondes?* si re-  
spondeant singuli separatim, *Spondeo*.

*Ex Pomp.  
l. 4. de  
duob. reis  
constit.*

*De effectu hujusmodi stipulationum.*

1. Ex hujusmodi obligationibus & stipulationibus  
solidum singulis debetur, & promittentes singuli in  
solidum tenentur. In utraque tamen obligatione  
*una res vertitur*, & vel alter debitum accipiendo,  
vel alter solvendo, omnium perimit obligationem,  
& omnes liberat.

*De stipulatione pura, & de die & conditione.*

2. Ex duobus reis promittendi, alius pure, alius  
in diem, vel sub conditione obligari potest: nec  
impe-

*Ex Flor. l.  
7. de duob.  
reis const.*